



Sammelband von Dina



U. g. 1975

POSITIONES LEGALES.

Disput. 4. lib. 2. Inst.

DE SERVITV-
TIBVS PERSONA-
LIBVS.

*Ex titulo Instit. de usufructus & tit. de u-
su & habitatione & correspondentibus iuris
textibus desumpta*

QVAS

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA

PRÆSIDE

NOBILISSIMO CLARISSIMO
ET CONSULTISSIMO VIRO
Dn. ARNOLDO DE REYGER IC. ET IN
inclyta Salana Academia professore Pan-
dect. publico.

*Privati exercitii gratia pro ingenii modulo
propugnare studebit*

THEODORICVS à SCHVLEN-
BURGK.

Ad 28. diem Augusti, hora & loco solitis.



I E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO MD. C. XCIV.

DE SERVITV
 TIBVS PERSONA-
 LIBVS
 PAVLI
 NOTITIA
 C. STEVEN
 THE JOURNAL
 OF THE
 ...





TRANSITIO.

Discussis superiori disputatione servitutibus realibus, ordo nunc postulat, ut servitutes personales perscrutemur.

THESIS I.



ET cum secundum Ciceronem *a*, omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio debeat à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputetur, placet hanc, de servitutibus personalibus disputationem à definitione ordiri.

a lib. 1. offic. idem quoq; in oratione Lysia tradidit Socrates in phædro Platonis.

2.

Servitus personalis, est quæ personæ debetur & sine persona utentis esse nequit, ac una cum persona inter moritur, ideoq; personalis perhibetur, ut usufructus usus & habitatio.

VVes. in paratit. ff. de usufr. nu. 3. & notarunt communiter Dd. ad rubr. in ff. & Instit. de usufr.

3.

Usufructus est servitus *a*, personalis *b*, alienis rebus utendi fruendi salva rerum substantia *c*.

a Vult. 1. jurispr. 63. nu. 16. Hieron. Treutl. disputatione de usufr. th. 1. b l. si quis 32. ff. h. t. de usufr. c pr. Instit. de usufr. l. 1. ff. eodem.

4.

Et dividitur in verum & quasi usumfr. *a*, Verus est
A 2 qui

qui in rebus quæ usu non consumuntur, siue sint mobiles
siue immobiles, constituitur b.

a §. constituitur autem *Inst. de usufr. & ibi Mys. nu.*
9. l. 2. ff. de usufr. earum rerum b d. §. constituitur autem in
pr. l. usufr. legato 7. in pr. ff. h. t. de usufr.

5.

Quasi usus. intelligitur, qui consistit in rebus, quæ
usu consumuntur, hoc est quæ nullum usum, nullumque
fructum præbent nisi simul consumantur.

d. §. constituitur in *fin. d. l. 2. ff. de usufr. earum rerum*
cum similibus, Vultcius 1. Iurisp. c. 63. nu. 24.

6.

Cum enim hæ res quæ usu absumuntur neq; natura-
li neq; civili ratione recipiant usum. senatus efficere non
potuit, ut earum rerum usufr. propriè esset, nam naturalis
ratio auctoritate senatus commutari non potuit, utilita-
tis itaq; causa remedio cautionis introducto, cœpit quasi
usufr. haberi.

d. §. constituitur autem *d. l. 2.*

7.

Qua de causa si pecuniæ usufr. legatus sit, ita datur
legatario, ut ejus fiat, & legatarius satisdet heredi, de
tanta pecunia restituenda si morietur aut capite minue-
tur. d. §. constituitur autem.

8.

Cæteræ quoq; res ut vinum, oleum frumentum, ita
traduntur legatario ut ejus fiant, & cautio ab eo deside-
randa est, ut quandoq; is mortuus aut capite diminutus
sit, ejusdem qualitatis res restituatur, aut æstimatis rebus
certæ pecuniæ nomine cavendum est, quod Cajo com-
modus videtur.

d. §. constituitur autem *l. si vini 7. ff. de usufr. earum rerum.*

Sane

9.
Sane divisionem vulgo à Dd. traditam, qua usumfr. deducunt in formalem & causalem non admittimus, sed eam tanquam à legum veritate alienam non immerito cum quibusdam reiicimus.

Corras. lib. 5. Miscell. c. 3. Costal. in L. 1. ff. h. t. de usufr. Duar. in l. si ita stipulatus ff. de V. O. Boc. hac disputat. th. 8.

10.

Cæterum ususfr. constituitur à domino aut per ultimas voluntates aut inter vivos: per tunc ultimas voluntates, ut si ususfr. dominus alicui legaverit, heres nudam habet proprietatem, legatarius vero ususfr. & contra si fundum legaverit deducto usufr. legatarius nudam habet proprietatem, heres vero ususfr.

S. usufructus à proprietate Instit. h. t. l. usufr. 6. in pr. ff. eod.

11.

Inter vivos si quis velit ususfructum constituere, pactio nibus & stipulationibus id efficere debet.

d. S. usufructus à proprietate l. omnium praediorum 3. in fin. pr. ff. h. t. de usufr. l. usufructu 4. in fin. C. eodem.

12.

Nec pure tantum constitui potest ususfr. sed & sub conditione ex certo tempore, vel ad certum tempus *a*, pro parte divisa vel indivisa *b*.

a l. sub conditione 54. ff. h. t. de usufr. l. ambiguitatem 12. C. eodem l. & puto 16. S. usufr. ff. fam. Ercisc. b l. usufr. 5. ff. de usufr. consule Hottoman. in illustribus questionibus q. 18. ubi sex proponit argumenta quæ hanc partem propositionis vehementissime impugnare videntur.

13.

Omnes autem omninò fructus usufructuarius percipit, omniaq; omninò emolumenta, non modò natura-

A 3

lia

lia *a*, sed etiam civilia *b*, nec ad necessitatem tantum, sed lucrum etiam & voluptatem pertinentia *c*.

a l. item si fundi 9. ff. h. t. *b* l. usufr. legato 7. ff. cod. *c* VVes. in paratit. ff. h. t. de usufr. nu. 7.

14.

Hinc si in fundo sint lapidicinæ vel cretifodinæ usufructuarium his quasi bonum patremf. usurum Sabinus ait, quam sententiam puto veram.

d. l. item si fundi 9. §. sed si lapidicinas.

15.

Hoc amplius usufructuarius non modo ipse potest frui ea re, cujus usumfr. habet, sed & eandem alii fruendam concedere vel locare vel vendere non prohibetur.

§. 1. Instit. de usu & habitat. l. arboribus 12. §. usufructuarius ff. de usufr.

16.

Quemadmodum vero usufructuarius debet uti frui, ita & proprietatis dominus securus esse debet de proprietate, unde si alicujus rei usumfr. constitutus fuerit, dominus potest in ea re satisfactionem desiderare, ut officio judicis hoc fiat.

l. si cuius rei 13. in pr. ff. h. t. de usufr.

17.

Et quidem prætori æquissimum visum est, usufructuarium de utroq; cavere, & usurum se boni viri arbitratu, & cum usumfr. ad eum pertinere desinet, restitutum, quod inde extabit.

l. 1. in pr. & 1. t. ff. usufructuarius quemadmodum caveat.

18.

Porro ne in universum inutiles essent proprietates, semper abscedente usufructu placuit certis modis extinguere usumfr. & ad proprietatem reverti.

§. 1. in fin. & §. fin. Instit. de usufr. l. 3. §. pen. ff. eodem.

Et

Et quin morte, tam civili quam naturali usufructus extingatur, dubitationem recipere non videtur.

§. finitur autem Instit. de usufr. l. 1. in pr. & §. 1. l. sicut 3. §. fin. ff. quibus modis usufr. amittitur l. si patri 3. in pr. l. si domina 10. C. de usufr.

Finitur quoq; usufr. non utendo per modum, item in jure cessione, domino proprietatis non extraneo facta, nec non consolidatione seu confusione, puta si usufructuarius proprietatem rei adquisierit *a*.

a d. §. finitur autem l. si usufr. 66. ff. de iure dotium l. si tibi 17. l. si servus 27. ff. quibus modis usufr. amittitur.

Præterea rei interitu interire usumfr. placet, veluti si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræ motu vel vitio suo corruerint sine dubio extinguitur earum usufr. Sed an & aræ? Certissimum est exustis ædibus nec aræ nec cementorum usumfr. deberi.

d. §. finitur in fin. l. repeti 5. §. rei mutatione ff. quibus modis usufr. amittitur.

Hactenus de priori personalis servitutis specie, nunc aliæ duæ succedunt, usus scil: & habitatio: usus qui & nudus usus dicitur est jus alienis rebus utendi salva rerum substantia *a*, ac constituitur & finitur iisdem modis quibus & usufructus *b*.

a Accursius in l. 1. ff. de usu & habitat. b pr. tit. Inst. de usu & habit. l. 3. §. fin. ff. de usufr. l. 1. ff. de usu & habit.

Minus tamen juris est in usu, quam in usufructu, Nam qui fundi nudum habet usum, fructibus ut oleribus, pomis, florib. foeno, stramentis & lignis duntaxat utitur ad
usum

usum quotidianum, non usq; ad compendium vel abusu-
m, in eoq; fundo haftenus ei morari licet, ut neq; do-
mino fundi molestus sit, neq; iis per quos opera rustica
fiunt impedimento, nec ulli alii jus quod habet, aut locare
aut vendere aut gratis concedere potest, cum is qui u-
sumfr. habet, possit haec omnia facere.

§ 1. *Instit. de usu & habit. l. plenum 12. in pr. & §. 1. l. si habitatio 10. §. si usus fundi cum l. seq. ff. de usu & habit. l. sed neq; 8. ff. eod.*

24.

Habitatio, quæ neq; usus neq; usufructus videtur, est
jus habitandi in ædibus alienis salva ædium substantia.

§. *sed si cui Instit. de usu & habitat. & ibi Myns & alii.*

25.

Coronidis vice quæritur, an habitatio donari pos-
sit? Et ex constitutione D. Iustiniani habitationem do-
nari & quocunq; modo in alium transferri posse, defen-
dere tentabimus.

per l. cum antiquitas 13. C. de usufr. & habitat.

I M P E R T I N E N S.

An pecunia nobilitatem tribuat an potius virtus? Et
nobilitatem ex virtute comparatam veram esse nobilita-
tem affirmamus.

per legem nobiliores 3. ubi Dd. C. de commerc. & mercat. c. super eo 22. §. 1. ext. de testibus Tyraq. de nobilitate c. 34. & 5. per tot.

F I N I S.



99 A 6904

ULB Halle 3
004 976 38X



TA 30L





XXI

POSITIONES LEGALES.

Disput. 4. lib. 2. Inst.

DE SERVITV-
TIBVS PERSONA-
LIBVS.

*Ex titulo Instit. de usufructu & tit. de u-
su & habitatione & correspondentibus iuris
textibus desumpta*

QV A S

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA

PRÆSIDE

NOBILISSIMO CLARISSIMO
ET CONSULTISSIMO VIRO
Dn. ARNOLDO DE REYGER IC. ET IN
inclyta Salana Academia professore Pan-
dect. publico.

*Privati exercitii gratia pro ingenii modulo
propugnare studebit*

THEODORICVS à SCHVLEN-
BURGK.

Ad 28. diem Augusti, hora & loco solitis.



I E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

ANNÒ MD. LXXIV.

